



Patriarchatus Latinus- Ierusalem
البطريركية اللاتينية الأورشليمية
المكتب الليتورجي
Officium Liturgicum

Die 29 Ianuarii

Ss. Paulæ, Eustochii et Melaniæ, religiosarum

Ant. ad introitum

Ps 72, 28

Mihi adhærere Deo bonum est, pónere in Dómino Deo spem meam, ut annúntiem omnes operatiónes tuas in portis filiæ Ierúsalem.

Collecta

Deus, humilium celsitúdo,
qui beátas Paulam, Eustóchium et Melániam
caritátis et paciéntiæ decóre excellere disposuísti,
earúmdem méritis et intercessióne concéde,
ut crucem nostram iúgiter feréntes,
Te semper diligere valeámus.
Per Dóminum.

In Bethlehem : memoria obligatoria pro Ss. Paula et Eustochio

Collecta

Deus, qui beátam Paulam et Eustóchium
a saéculi fastu ad præsepe Fílii tui dúlciter attraxísti,
da nobis, eárum intercessióne,
ut vanitátem mundi agnoscéntes
ad Christi sequélam transeámus.
Qui tecum vivit.

In oratione super oblata mentio Sanctæ Melaniæ omittatur.

LECTIO PRIOR

« Scire supereminentem scientiæ caritatem Christi »

Lectio Epistolæ beati Pauli apóstoli ad Ephésios 3, 14-19

Fratres:

Flecto gēnua mea ad Patrem Dómini nostri Iesu Christi, ex quo omnis patérnitas in cælis et in terra nominátur, ut det vobis secúndum divítias glóriæ suæ virtúte corroborári per Spíritum eius in interiorem hóminem, habitáre Christum per fidem in córdibus vestris, in caritáte radicáti et fundáti, ut valeátis comprehéndere cum ómnibus sanctis quæ sit latitúdo et longitúdo et sublímitas et profúndum, scire étiam supereminéntem sciéntiæ caritátem Christi, ut impleámini in omnem plenitúdinem Dei.

Verbum Dómini.

PSALMUS RESPONSORIUS

Ps 33, 2-3.4-5.6-7.8-9.10-11 (R. 9 a)

R̄. Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus.

1 Benedícam Dóminum in omni témpore,
semper laus eius in ore meo.

In Dómino gloriábitur ánima mea,
áudiant mansuéti et læténtur. R̄.

2 Magnificáte Dóminum mecum,
et exaltémus nomen eius in idípsum.
Exquisívi Dóminum, et exaudívit me,
et ex ómnibus terróribus meis erípuit me. R̄.

3 Respícite ad eum, et illuminámini
et fácies vestræ non confundéntur.
Iste pauper clamávit, et Dóminus exaudívit eum
et de ómnibus tribulatiónebus eius salvávit eum. R̄.

4 Vallábit ángelus Dómini in circúitu timéntes eum,
et erípiet eos.

Gustáte et vidéte quóniam suávis est Dóminus;
beátus vir qui sperat in eo. *R̄.*

5 Timéte Dóminum sancti eius,
quóniam non est inópia timéntibus eum.

Dívites eguérunt et esuriérunt,
inquiréntes autem Dóminum non deficient omni bono. *R̄.*

ALLELUIA

Io 15, 9b et 5b

R̄. Allelúia. *Ÿ.* Manéte in dilectióne mea, dicit Dóminus;
qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum
múltum. *R̄.* Allelúia.

EVANGELIUM

« *Martha excepit illum, Maria optimam partem elegit* »

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam 10, 38-42

In illo témpore :

Intrávit Iesus in quoddam castéllum, et mulier quædam
Martha nómine excépit illum. Et huic erat soror nómine María,
quæ étiam sedens secus pedes Dómini audiébat verbum illíus.
Martha autem satagébat circa frequens ministérium; quæ stetit
et ait : « Dómine, non est tibi curæ quod soror mea relíquit
me solam ministráre? Dic illi ut me ádiuvet ».

Et respóndens dixit illi Dóminus: « Martha, Martha,
sollicita es et turbáris erga plúrima, porro unum est neces-
sárium : María enim óptimam partem elégit, quæ non auferé-
tur ab ea ».

Verbum Dómini.

Super oblata

Da nobis, quæsumus, Dómine, per hæc sancta sacrificia,
regnum tuum iustitiámque eius semper inquirere,
pro quibus sanctæ Paula, Eustochium et Melánia
falláces sæculi divítias et voluptátes abiecérunt.
Per Christum.

Ant. ad communionem

Ps. 60, 5-6

Inhabitábo in tabernáculo tuo in saecula, prótegar in velamén-
to alárum tuárum, quóniam tu, Deus meus, exaudísti vota mea.

Post communionem

Infúnde nobis, Dómine, huius virtúte sacraménti,
ineffábilem tui amóris suavitétem,
ut, superátis ómnibus mundi impediméntis,
tibi soli adhærére mereámur.
Per Christum.